



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 3. A qua forma proveniat Jus Proprietatis in creatura?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

qui vovit, vovisse se adstrinxit ad moraliter restringendam suam voluntatem; ad jus autem proprietatis non sufficit potestas ponendi conditionem, sub qua alter restringat suam libertatem, sed requiritur, ut sit potestas per suam voluntatem restringendi moraliter libertatem alterius. Quamobrem si Confessarius præciperet in eo casu, ut ille, qui vovit, daret centum Petro, & ille noller illa centum dare, non peccaret contra justitiam commutativam, nec teneretur ad restitutionem, quia non restrinxit libertatem aliorum, quod requirebatur ad hoc peccatum contra jus proprietatis, sive justitiam commutativam, sed tantum non restrinxit suam contra votum, quod non sufficit ad injustitiam commutativam, ut diximus à num. 138.

SECTIO III.

A qua forma proveniat jus proprietatis in Creatura?

198. **N**on est quæstio de jure alto proprietatis, quod habet Deus in omnes creaturas sive ad producendas, sive destruendas, vel ad exigenda quæcunque opera creaturarum titulo proprietatis; nam illud jus Dei, cum sit illi essentialiter, absque ulla controversia consistit in natura, & essentia Divina, in qua etiam consistit alium dominium Dei super omnia creata. Ratio est, quia jus, & dominium illud Divinum est perfectio simpliciter simplex necessarîo conveniens Deo; siquidem Deus, cum sit Ens primum, à quo omnia alia entia essentialiter pendunt tum in fieri, tum in conservari, est essentialiter Dominus omnium aliarum rerum jure, & dominio inabdicabili; ita ut ipsa essentia Divina sit jus Dei in creaturas, casu, quo Deus illas producat, & jus, ut possit eas producere, si velit, vel ut possit, si velit illas jam productas destruere; unde sicut Deus non potest à se abdicare essentiam Divinam, ita non potest à se abdicare illud jus proprietatis, quod proinde non dicitur prædicamentale, sed transcendentale. Procedit itaque controversia de jure proprietatis, quod creaturæ convenit; nam hoc non convenit creaturæ essentialiter, sed accidentaliter, atque à Deo illi conceditur, juxta illud Pauli ad Rom. 13. *Non enim est potestas, nisi à Deo*; an autem in Deo reperiri possit aliud jus proprietatis fundatum in pacto, quo rationalem creaturam sibi habeat mutuo obligatam ex justitia commutativa, est quæstio resolvenda, cum de subiecto domini agemus, ut præmonui num. 195.

199. Quapropter jus, & dominium creatum proprietatis, tum jurisdictionis distinguitur realiter ab ipsis creaturis, quæ jus habent. Ratio est, quia eo ipso, quod jus proprietatis, aut jurisdictionis creaturæ conveniens sit ipsi accidentale, potest ipsa existere sine eo jure, proindeque est à jure separabilis; cumque substantia distinguitur realiter ab eo, quod ipsi accidentaliter advenit, & à quo ipsa est separabilis, juxta

illud: *qua realiter separantur, realiter distinguuntur*; exinde jus proprietatis, aut jurisdictionis, quod habet creatura in alias creaturas, distinguitur realiter à creatura, quæ habet jus. Quare Petrus, qui modò est Dominus agri, qui est Pater Francisci, qui est Rex, aut Pontifex, potuit esse sine tali munere; unde accidentaliter advenit ipsi jus Patris in filium, & jus proprietatis in alia bona. Quin potius jus naturale jurisdictionis, aut proprietatis creaturæ conveniens super alias creaturas, quale est in ordine ad aliqua jus Patris in filium, & alia similia, non est fundatum in essentiali exigentia naturæ, sine dependentia saltem à lege libera Dei, & quandoque à propria libertate, & lege etiam humana, ideòque solum dicitur jus naturale, quatenus ex aliquali inclinatione naturæ concessum est ab Authore naturæ in his circumstantiis, in quibus tolli potuit, & non concedi de potentia absoluta Dei. Conceditur tamen subiectum semper voluntati Divinæ, & quandoque voluntati propriæ, & voluntati Superiorum. Sic concessit Deus nobis jus ad movendas manus, & pedes, prohibuitque, ne alii nos impedirent; sic concessit jus in propriam libertatem, ita, ut possimus illi cedere, ex dictis num. 120. ut quando aliquis se vendit in mancipium. Ex his autem oritur difficultas ad assignandam formam, à qua proveniat in creatura jus proprietatis.

Esparza, quem plures Recentiores sequuntur quæst. docet, jus compleri essentialiter per actum realem voluntatis, quo homo acceptat beneficium legis præferentis illum aliis, vel per actum intellectus, & realem, quo cognoscit se pro libito posse uti tali re; per hoc enim constituitur proximè liber ad utendum re sua; dominium autem completè sumptum est proxima potestas libera. Cæterum, ut verum fatear, sicut negare non possum, per hos actus compleri dominium actuale ut proximè liberè exercendum; sic in genere judico, per id non satisfieri præsentî difficultati. Difficultas siquidem non stat in assignanda proximitate libertatis ad agendum, sed in explicando jure habituali, vel quasi habituali, quod etiam dormiens, amens, vel parvulus, qui physica carent libertate proxima, reverà habent in res suas, & sunt veri Domini. Quærimus ergo de hoc jure, in quo consistat.

Prima sententia docet, jus, sive dominium istud esse prælationem rationis fictam; nam est quid permanens in homine; nihil autem physicum permanet in homine, in quo hoc jus stare posset, cum jam transierint actus voluntatis, & intellectus, per quos fieri solet translatio juris in contractibus: dicere autem, quod transactis illis actibus maneat in homine quædam realis qualitas physica, in qua consistat jus, ut dixit Nonnemo apud Raynaudum lib. 3. de virtutibus num. 21. videtur aliquibus non solum falsum, sed etiam ridiculum; quis enim credat quando Petrus in Europa moritur, & filius apud

apud Indos existens acquirat jus in hæreditatem, quod statim filio imprimat realem quamdam intrinsicam qualitatem physicam, à quo produceretur ista qualitas? restat ergo, ut dicatur, consistere jus istud in aliquo ente rationis ficto. Cæterum hæc sententia, dum negat formam realem, & assignat tantum ens rationis fictum, inintelligibilis est. Quare contra illam sic arguo primò, quia nullo fingente intellectu sunt alii præ aliis Domini rerum, habentque reale dominium, & non fictum: ergo jus est quid reale, & non pure rationis. Secundò, quia neque fictio durat semper, quamvis aliquando dureret: atqui dominium, & jus est permanens, & durans: ergo vel non consistit in fictione, vel si hoc non obstante in ea consistit, poterit etiam consistere in aliis entitatibus realibus, non obstante, quòd non remaneant physicè.

Secunda sententia, cujus meminere Ripalda, & Raynaudus, docet, jus consistere in ente quodam actuali, quod absolute nec est ens rationis, nec reale, sed est ens tertium, sive medium, quod vocant ens morale. Contra tamen 1. Per sola entia physica intelliguntur bene denominationes istæ morales: ergo inane quid est ad moralitates explicandas confingere entitatas morales, quæ neque sint ens reale, neque ens rationis. Probatum aut. Nam quid morale est homini, qui heri promissum hanc rem hodie facere, obligari hodie ad præstandum promissum: sed id, quod formaliter obligat, est juxta Adversarios externa acceptata promissio non legitime retractata, nec ab aliquo relaxata, aut non acceptata, quæ proinde dicitur hodie moraliter perseverans in effectu suo, & obligatione ad rem promissam; idemque est de omnibus aliis moralibus denominationibus, ut expendenti constabit: ergo denominationes istæ non aliter explicari possunt, nisi per formam realem, & physicam obligantem acceptatam, vel acceptibilem, & non legitime retractatam, aut non relaxatam.

Contra 2. Obligatio, & denominatio moralis superveniens, quæ non funderetur in aliquo prædicato reali, est prorsus chymica, & inintelligibilis, ut constabit inductione per singulas denominationes morales; sic quid morale ex mendacio externo hominem esse hodie peccatorem, quin possit dici, hanc denominationem esse fictam, & chymicam; provenit enim ab ipso mendacio externo, quod quia legitime retractatum non est, neque remissum, aut condonatum, moraliter perseverat, proindeque formaliter denominat hominem peccatorem: ergo ad has moralitates explicandas non sunt fingendæ illæ entitaturæ mediæ inter ens reale, & rationis. Contra 3. Eo ipso, quòd homo heri peccaverit, illiusque peccatum non sit hodie remissum, præcindendò à quacunque entitatura media inter ens reale, & rationis, homo est hodie formaliter peccator, & habet reverà denominationem moralem peccatoris, & peccatum externum hodie moraliter perseverans.

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

rat: ergo denominationes istæ morales non habentur per entitaturam aliquam mediam, inter ens reale, & rationis. Fateor tamen, ingenuè illos, qui entia negativa admittunt distincta à positivis, latam aperire viam his inintelligibilibus entitatibus mediis inter ens reale, & rationis.

Tertia sententia ait, jus consistere in denominatione extrinseca morali reali proveniente ab aliquibus actibus physicis, per quos acquiratur jus, qui quamvis physicè præterierint, moraliter tamen perseverant, dum jus, sive dominium dicitur perseverare apud aliquem. Si autem quæras, quinam sint illi actus, respondent, esse varios pro varietate modorum acquirendi jus, & exemplum apponunt in contractu, quo Petrus transfert jus in Paulum: dicunt itaque, actus illos contrahentium moraliter perseverantes constituere jus Pauli deinceps circa talè rem. Si verò ulterius quæras, in quo stet moralis illa perseverantia, hoc opus, hic labor est. Nonnulli Recentiores duas assignant carentiarum entitaturas, quæ, ut ajunt, sunt ens reale distinctum ab omni positivo; sunt, ajunt carentia actuum, qui præcesserunt, & carentia retractationis ipsorum, per quas carentias censent perseverare moraliter actus, qui physicè præcesserunt. Si objicias, jus est effectus acquisitus per illos actus contrahentium: ergo non consistit in illis actibus etiam moraliter perseverantibus. Respondent, jus esse effectum moralem illorum actuum, quatenus illi induunt prædictas carentias, per quas ipsi moraliter perseverant. Plura displicent in explicatione hujus sententiæ. Quapropter

Contra 1. Quia imperceptibiles sunt carentiæ, quæ sint aliquid reale, & entitaturæ distinctæ realiter ab omni ente positivo; imò & sunt omnino repugnantès, ut suppono ex Philosophia. Rursus loquendò de carentia actuum contrahentium, quomodo hæc induci potest ab ipsis actibus, si est improducibilis, & distincta ab omni ente reali passivo; si enim est inducibilis verè, & non chymicè, jam augebit numerum rerum, & entium positivorum, cum habeat prædicata transcendentalia, & connexionem cum causa inducente, loquendò autem de carentia retractationis est eadem difficultas, quia etiam haberet connexionem cum causa inducente, proindeque augetur numerum rerum, & esset ens positivum. Insuper ista carentia non oritur à contractu præterito; siquidem præcedebat multò ante contractum. Demum per multos contractus, ut patet in matrimonio, acquiritur jus, & dominium perseverans moraliter, quantumvis contrahentes retractent voluntates, quibus contraxerant: ergo jus, sive dominium inde resultans non requirit carentiam retractationis ad moralem sui perseverantiam: ergo falsò, & absurdè dicitur, perseverantiam illam moralem stare formaliter in prædictis carentiis, & eas oriri ex actibus præteritis.

Contra 2. In primo instanti, in quo dantur illi

illi actus contrahentium, jam datur jus in Petro, atqui non dantur illæ duæ carentiæ, cum stare nequeant in eodem instanti carentiæ actum cum ipsis actibus: ergo jus non consistit formaliter in actibus moraliter perseverantibus per illas duas carentias: quòd si fermo sit de jure non actuali, sed perseverante quasi habitualiter, neque jus istud potest stare formaliter in carentiis, quibus deficientibus jus non deficit: atqui deficientibus illis carentiis jus non deficit, ut patet in contractu matrimonii, qui non deficit, licet deficient illæ carentiæ per retractationem contrahentium. Unde aliud est assignandum constitutum hujus moralis perseverantiae. Vide, quæ de his latius dixi à num. 196. de actibus humanis.

207. Quarta sententia docet, jus constituere formaliter in recto rationis dictamine adjudicante alicui titulo præsupposito certos usus licitos rerum diversos quidem pro diversitate jurium, quæ oriri solent à diversis titulis. Sic Deo titulo supremæ suæ excellentiæ creatoris omnipotentis, sive titulo Dei competit pro libito suo usus cuilibet rei creatæ. Dictamen ergo rectæ rationis comparans, & adjudicans ejusmodi titulum talem usum dicitur esse formaliter jus, sive dominium Dei in res creatas; similiter etiam in creaturis titulo emptionis, & pretii, & pariter venatori titulo captivonis feræ adjudicantur pro libito suo tales, vel tales usus circa rem emptam, vel captam, sive alio modo à se habitam: dictamen ergo rectæ rationis adjudicans tales usus alicui homini ratione prædicati, vel alterius similis tituli est jus, sive dominium. Quòd si objicias, prædictum, dictamen, cum sit actus intellectus transiens, non semper durare, quamdiu durat habitualiter in aliquo jus, seu dominium. Respondent aliqui Recentiores Patroni hujus sententiæ, semper durare dictamen primæ regulæ æternæ in mente Divina, quod factis est. Cæterum si hæc sententia non assumat principia nostra, quæ dabimus num. 208. & unice persistat in iis, quæ Authores sui tradunt, falsa omnino est; ideoque persistendò in eorum explicatione

208. Contra sententiam sic explicatam arguo primò: prædictum dictamen judicat post actus illos contrahentium pertinere ad Petrum usum rei. Modò sic, & rogo, quomodo judicat pertinere? dices tanquam ad Dominum habentem jus in tali re; alius namque modus pertinendi impertinens esset ad intentum. Modò sic: ergo prædictum dictamen judicat, usum rei pertinere ad Petrum ut Dominum, & ut habentem jus in illa re, proindeque supponit, & non constituit jus, sive dominium Petri circa talem rem. Contra 2. Judicare, tales usus rei pertinere ad Petrum post talem contractum, est judicare, licere illi post talem contractum tales usus, quales aliis forent illiciti pro libito ipsius Petri: ergo dictamen sic judicans supponit in Petro præ aliis potestatem licitè utendi tali re, & restringendi moraliter libertatem aliorum in favorem

suum; atqui ea potestas est formaliter jus proprietatis Petri, ut constat à num. 179. ergo jus proprietatis est quid præsuppositum ad illud iudicium, seu dictamen, ac proinde non stat formaliter in illo. Vide à num. 215.

SECTIO IV.

Exponitur Sententia nostra.

Assero cum pluribus Recentioribus, quos 209. partim sequitur Maurus quæst. 173. jus proprietatis conveniens creaturæ stat formaliter in lege, seu quasi lege favente uni, gravante reliquos, quatenus uni confert directè, & præcipuè in bonum libertatis ipsius potestatem legitimum ad restringendum moraliter per suam voluntatem aliorum. Dicitur *in lege*, quatenus lex extenditur ad naturalem, & positivam, & humanam. Dicitur *seu quasi lege*, nam dantur aliqui contractus, qui sunt eminenter lex, & præstant quoad hoc eisdem effectus, quos lex præstaret, tum etiam sunt aliqui actus supremi Domini æquivalentes legi. Sic casu, quo Deus produxisset unum solum hominem, eique dedisset dominium, ea voluntas dandi dominium non esset strictè lex, sed quasi lex, id est virtualiter, & eminenter lex. Ratio est, quia lex strictè sumpta respicit communitatè, quam certè illa divina voluntas non respiceret; in hoc sensu præceptum, & pactum stabile, & validum vocatur ab aliquibus eminenter, & virtualiter lex. Conclusio igitur explicata

Probatur primò. Nulli creaturæ competit 210. jus proprietatis in alias creaturas ex natura sua præcisè, sed accedente extrinseco beneplacito, seu lege positiva, vel ordinatione Divina, ut diximus num. 199. quin imò quamvis homini capienti feram, ementi equum, aut facienti aliquid artefactum competat jus in hujusmodi res titulo captivonis, emptionis, seu effectivonis, non tamen independentè à lege: posset enim Legislatores, saltem supremus, nempe Deus ut supremus Dominus, à quo omnis potestas descendit, ut summæ naturæ constat, & habetur ad Rom. 13. *Non enim est potestas, nisi à Deo*, prædictos titulos privare effectu acquirendi juris, & è contra seclusis illis titulis potest Deus conferre jus, ita ut præcisè posita lege illa jus habeatur, ablata verò præcisè illà jus deficit; sed exinde patet, jus proprietatis stare in ejusmodi lege, seu quasi lege: ergo &c. Videatur Esparza quæst. 25. art. 9. Confirmatur ex Philosopho, qui jus proprietatis non nisi ad legem reducit; sic enim habet 5. Ethicorum cap. 4. *Justum autem, quod est in commerciis, est quidem æquum quoddam, & injustum iniquum; sed non illa comparatione rationum, sed arithmetica; nihil enim refert, si probus pravo detraxerit, an pravius probus; neque si adulterium probus, an pravius commiserit, sed ad differentiam nocu- menti lex respicit tantum: sed exinde constat, jus*